

8620



Rep. XXXIII. 4. no. 98.

6e
GEORGII ADAMI STRUVII,
D. J. U. Prof. Publ.

EXERCITATIONEM FEUDALEM
QUINTAM

De

PERSONIS FEV-
DUM CONFEREN-
TIBUS ET ACQVI-
RENTIBUS,

Sub

Ejusdem Præsidio

Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-
dam ex Jure Criminali *Ἰνδóματα*
annectit

Henning Pape.

Ad d. VII. Februarii Anno

M. DC. LVII.


H. L. Q. C.



GENÆ

è Typographéo JOHANNIS Nsijl

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



Συὺ θεῶ.

I.



Vamvis conjunctio maris & foeminae *Conjunctio*
juris sit naturalis, nec ulla lex divina vel *onus per-*
civilis eam mortalibus deneget, multis *missio.*
tamen, ne limites egrediatur, est inclusa
cancellis. *pr. J. d. J. n. g. & civ. Add. Ari-*
stot. I. Pol. 2. & 2. de anim. text. 34.

II.

Ab ipsis enim statim rerum primordiis naturalis *Ejus restri-*
ratio concubitum licitum ab illicito secernens, varias *ctio.*
hujus prohibitiones dictavit, quae à lege divinâ clariùs
expressae: & Juri quoque nostro civili sunt insertae.

III.

Licet autem prohibitiones illiciti coitus ex variis
descendant causis, ad has tamen tres potissimum revo- *Hujus re-*
cari posse videntur, si (1.) consideretur naturalis con- *strictionis*
cumbendi ratio, & finis; unde prohibetur commixtio *sive probi-*
tum quoad speciei diversitatem, unde nefandus morta- *bitionis*
libus cum bestiis coitus interdicitur; tum quoad sexus *causae.*
identitatem, unde nefaria masculi cum masculino libido
refrœnatur. (2.) Consanguinitas, unde incestuosus ma-
tris, sororis, vel nuri aut privignae & ita deinceps con-
gressus inhibetur. (3.) Nuptiae, unde prohibetur con-
cubitus extra matrimonium. *Selden. de jur. natur. &*
gent. lib. 5. c. 2. juxta discip. Ebraor. De quo ultimo in-
terdictae conjunctionis genere, & quidem speciatim eo,
quod à personis nuptis committitur; atque proprio &

peculiari nomine adulterium vocatur, hac vice pauca-
lae quaestiones erunt enodandae.

IV.

*Adulterii
descriptio.*

Est autem adulterium de Jure civili delictum pu-
blicum *t. t. ff. & C. h. t.* quo per concubitum cum alte-
rius uxore *l. 34. §. 1. h. t.* dolosâ voluntate commissum
l. 12. & l. pen. ff. h. t. torus conjugalis violatur. *l. 6. §. 1. ff.
h. t. l. 101. de V. S. l. 22. C. h. t.*

V.

*Ejus gene-
ra.*

Constitit hoc delictum in concubitu, cum alterius
uxore *d. l. 6. §. 1. & l. 34. §. 1. h. t.* Concumbunt autem
cum alienâ uxore, vel qui vivunt in matrimonio vel qui
sunt extra matrimonium. Ex quo duplex resultat adul-
terii genus (1.) quod committitur inter utrinque conju-
gatos si nimir. copulatus cum copulatâ rem habuerit
(2.) à conjugata & soluto, si vid. solutus cum alterius u-
xore congregiatur. Quibus communiter tertium ad-
ditur si conjugatus solutam carnaliter cognoscat, quod
tamen, sicut ex definitione colligi potest, jus civile non
agnoscit, cum illud non adulterium propriè dictum, sed
stuprum potius sit dicendum secundum jam *dd. ll. Vid.
Anton. Matth. de crim. ad lib. ff. 48. tit. 3. cap. 1. num. 12.*

VI.

*Maritus cū
innuptâ de
jure civili
propriè
adulteriū
non cōmit-
tit.*

Quandoquidem enim essentia hujus delicti sit po-
sita in stupratione alterius uxoris, utique manifestò ex-
inde relucet, quod cum nuptâ tantum adulterium com-
mitti possit, *d. l. 6. §. 1. ff. h. t.* Non polluit autem nu-
ptâ, qui licet maritus rem habuerit cum innuptâ, igitur
& adulteriū id verè dici nequit, cum hoc jure civile ex vi-
olatione tori alieni, & quod uxor aliū admittat, mensu-
retur. Tamen si verò maritus, qui hoc modo torum
egre-

agreditur, fidem violet conjugalem, tamen haud violat
 torum alienū: & alia in eo est ratio, quàm in uxore, quæ
 cum altero concumbit. Licet fortè talis in foro poli ad-
 ulteri pœnam non effugiat, qui suâ non contentus est u-
 xore, utpote cum coram cœlesti tribunali adulter ha-
 beatur, qui saltem adspexerit mulierem animo libidino-
 so. *Matt. 5. vers. 28. Vid. Anton. Matt. d. tr. de crim. ad lib. ff.*
48. tit. 3. cap. 1. num. 12.

VII.

Quare & hujus intuitu & Patrum autoritatibus *Secus v. est*
 moti Canonistæ à jure civili hac in parte recessere, & *de Jure*
 maritum quoque adulterii reum voluere, si cum soluta *Canonico.*
 congressus fuerit, tum quia eandem requirunt in viro
 castitatē, qualē ipsi debet uxor *c. nemo sibi. caus. 32. q. 4.*
 tum etiam quia magis ad viros pertinere putant, mulie-
 res virtute vincere, & exemplo regere *c. non mæchaberis.*
c. 33. q. 6.

VIII.

Quamvis vero, maritus, si cum solutâ rem habue- *Gravius est*
 rit, non proprie adulterium, ut supra dictū, sed stuprum *stuprum si*
 de jure civili committat, negari tamen nequit, gravius *maritus cū*
 illud stuprum esse eo, quod solutus cum soluta comittit. *solutâ co-*
 Non enim hic simplex est scortatio, sed torus quoque à *eat, quam*
 parte mariti violatur, fides conjugalis frangitur, debi- *si solutus cū*
 tum uxori subtrahitur contra expressum Pauli manda- *solutâ.*
 tum *1. ad Corinth. 7. vers. 3. & 5.* Immò furtum commit-
 tit, quia corpus proprium non habet in suâ potestate,
 sed uxor *1. ad Corinth. 7. vers. 4.*

IX.

Eadem ratione in adulterio facilè apparet, gravi- *Gravius v.*
 us esse delictum, si conjugatus cum conjugatâ, quam si *adulterio*
 solutus si conjugatus.

ei ab utraque parte congregiantur, quã si solutus cū nuptiã. solutus cum nuptiã congregiatur, duplex enim ibi est fidei conjugalis violatio & tori pollutio, immo & duobus injuria infertur, unde & duplex illud adulterium dicitur, hoc vero casu, quia una tantum persona adulterium committentium copulæ matrimoniali est addicta, unus tantum torus violatur, unius fides frangitur, & unum tantummodò injuria infertur. *Martin. Bonac. Theol. & J. U. D. tr. de iis quæ pertinent ad usum matrimonialem q. 4. punct. 15. proposit. 3. th. 5.*

X.

Committitur consensiente etiã conjuge. Committitur autem adulterium, licet alter conjugum consentiat, & juri suo, quod habet, renunciat. Non enim hic consensus vel renunciatio obligationem & vinculum fœderis conjugalis tollere potest, quia illud est indissolubile, adeoque consequenter conjux non potest illius obligationi naturaliter inde consurgenti cedere. *Martin. Bonac. d. tr. q. 4. punct. 15. prop. 3. th. 3.* Quinimò duplex hoc casu intercedit malitia, cum ex vitio commercio personæ matrimonio sibi junctæ, tum etiam injuria, quæ per illam conjugii Autori Deo infertur. *Less. lib. 2. c. 10. dub. 1. n. 4.*

XI.

Cum sponsa alterius adulteriũ propriè nõ committitur. Dicitur, quod cum nuptiã sive conjugatã tantum adulterium committi possit, ex quo patescit, quod in desponsatam cum altero hoc crimen propriè non cadat. *arg. l. 6. §. 1. h. t. Peretz. in C. h. t. n. 7.* Licet enim sponsus & sponsa, quàm statim sponsio facta fuerit & consensus subsequutus, sibi invicem sint obligatæ ad fidem conjugalem, quo facit *l. 30. ff. de R. J.* ideoque propter ejus temerariam violationem merito teneantur, non tamen exinde sequitur, quod propter hujus fidei fractionem

nem

nem adulterii crimen sponsa incurrat, quia ad illud non solum fidei conjugalis violatio, sed tori alieni pollutio requiritur, quod in desponsata, utpote quæ nullum adhuc torum recognoscit, fieri nequit, cum per sponsalia matrimonium quidem constituatur secundum perfectionem primam, consensum videl. & indivisibilem animorum conjunctionem demùm verò perficiatur si ve consummetur per perfectionem secundam, consensionem nimirum tori conjugalis. *Vid. Dn. Carpzov. rer. crim. part. 2. q. 56. num. 33. Nobiliss. Dn. Praeses Praceptor & cognatus meus de venerandus Exerc. ad ff. 40. th. 12. edit. pr. Ant. Matth. d. tr. ad ff. lib. 48. tit. 3. c. 1. n. 9.* Hodie hæc res minus dubii habere videtur, cum secundum constitutiones Ecclesiasticas ante *ιερολογία* seu benedictionem sacerdotalem nullum matrimonium nulla quoque uxor intelligatur per ea, quæ late & diserte adducit & probat *B. Gerard. tractat. de conjug. c. 6. th. 409. & seqq. pag. 603. & seqq.* Non obst. *l. 13. §. 3. Nec. Hoseæ c. 4. vers. 13.* quem locum benè explicat *D. Hieronymus in c. quapropter. 27. q. 2.*

XII.

Quæstio hic valdè salebrofa immisceri potest, an cum uxore meretricio more vivente adulterium committi possit? Affirmativam tenet *Ulpian. in l. si uxor. 13. §. sed & 2. ff. h. t.* Contra negativam defendant *Diocletianus & Maximilianus in l. 22. C. h. t.* Optimè & nervosè hanc controversiam extricare videtur *Ant. Matth. sæpius alleg. tr. ad lib. ff. 48. tit. 3. cap. 1. num. 6.* distinguendo inter mulierem, quæ marito planè deserto more meretricio passim & sine ullo delectu quemvis admittit, & corpus suum prostituit, & eam quæ marito quidem cohabitans

An cum uxore meretricio more vivente, adulterium committatur.

tans

tans corpus aliis præter maritum, non tamen passim & sine ullo discrimine committit; hoc modo adulterium committitur per d. l. 13. ff. 2. h. t. Illo crimen adulterii cessat per d. l. 22. C. h. t. Cui sententiæ ad sensum quoque præbet Nobiliss. Dn. Pras. disp. ad ff. 40. th. 12. pr. edit.

XIII.

Adulteri-
um non
committit,
qui nuptâ,
quam ipse
innuptam,
putat, co-
gnoscit.

Sed sicut in omnibus delictis regulariter dolus requiritur, ita etiam in hoc crimine non sufficit solum temerata esse alienas nuptias, sed necesse est, ut dolo malo & animo sacrilego fuerint temeratae, id enim verba hæc legis expressa volunt: *Ne quis posthac stuprum adulteriumve facito dolo malo l. 12. ff. h. t.* Mens enim tantummodo peccat non corpus & unde consilium abfuerit, culpa abest. *Liv. lib. 1.* Nec corporis pollutio, nisi mens consentiat, animam inficit. *c. 6. c. 32. q. 5.* Itaque si solutus consuescat cum nuptâ, quam putavit innuptam, forsan quod in lupanari prostaret, aut aliàs vitam meretriciam gereret, à crimine adulterii excusatur. *Anton. Matth. d. tr. ad ff. lib. 48. tit. 3. cap. 2. n. 6.*

XIV.

Idē obtinet
in uxore &
marito qui
vel astu de-
lusi seu
decepti cū
alienâ vel
alieno con-
sument.

Ex quo fluit, quod si maritus vel uxor errore vel astu delusi aut decepti, putarint se cum uxore vel marito concubuisse, quæ uxor sive maritus non fuit, adulterii poenam non patiantur *c. in lectum. c. si virgo. 34. q. 2.* Tenetur tamen is eave adulterii poena, qui vel delusit vel decepit, vel dolo malo se supposuit aut substravit. *l. 12. l. 14. ff. ad. L. Jul. de adult.* A crimine adulterii itidem immunis censetur, qui vitiaverit foeminam in conjugio viventem, quam ipse lege repudiatam existimavit. *Anton. Matth. ad lib. ff. 48. tit. 3. c. 2. num. 5. & 6.*

XV. No

XV.

Neque obstat superiori thesi commune illud axioma: Quisquis dat operam rei illicitæ, tenetur de delicto insequente. Quod enim illud non semper procedat, evincit §. 11. l. de obligat. quæ ex del. l. 4. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar. Neque sententiam invertit, quod, qui Titium occidere voluerit, per errorem Mævium occidat, teneatur L. Corneliâ: E. & stuprare volens, Titiam si adulteraverit Mæviam, tenetur L. Juliâ. Siquidem diversa hæc in re militat ratio. Qui enim Titium occidere voluit, utique animum occidendi habuit, at qui Titiam stuprare voluit, non adulterandi, sed stuprandi animum habuit. Sicuti ergò, qui alteri tantummodo vulnus infligere voluit, si præter intentionem & voluntatem ex accidenti aliquo extrinsecus occisio sequatur, non ordinariam homicidæ poenam incurrit, l. 1. §. 2. l. 14. ff. ad L. Cornel. de sicar. Ita nec ille adulterii poenâ puniendus, qui solum stuprare voluit & ob subjecti conditionem, quam ipse ignoravit, adulteraverit. *Matth. ad ff. lib. 48. tit. 2. cap. 2. num. 5.*

XVI.

Commodè hic quæritur an in casu converso adulterium committat solutus, qui innuptam, quam ipse nuptam existimat, cognoscit? Quod omnino negandum videtur. Licet enim regulariter in maleficiis voluntas non exitus spectetur l. 14. ff. ad L. Corn. de sicar. tamen illud huc applicari non potest, siquidem expresse factum exigit l. 12. ff. h. t. Secus verò est in L. Corneliâ, ubi dolus pro facto habetur. Etenim non solum ita L. Cornelia loquitur, si quis hominem occiderit, sed & si quis cum telo hominis necandi causâ ambulaverit l. 1.

Adulteriū non committit, qui innuptam quam ipse nuptam existimat, cognoscit.

B

⊕

§ 7. ff. ad L. Cornel. de sicar. Anton. Matth. ad lib. 48. ff. tit. 3.
 c. 2. n. 6. In L. verò Juliâ nunquam reperitur, quod ea ad-
 ulterium ex animo vel nudâ intentione metiatur. Hæc
 enim intercedit manifesta & luculêta differentia, quod
 in dato casu L. Corneliâ directò nil nisi homicidium
 intendatur, in casu vero nostro nō principaliter agitur,
 ut quis adulterium committere velit, sed is, qui cum Ti-
 tia innuptâ, quam ille nuptam existimat, congrredi cu-
 pit, cœcâ libidine correptus, eò allaborat, ut corpore il-
 lius fruatur, nullo habito respectu ejus, an nupta sive in-
 nupta sit, nihil enim exoptat, nisi tantum libidinis suæ
 expletionem.

XVII.

Duplex ob Expositum hætenus, quando & quomodo adul-
adulteri terium propriè dictum committatur. Properandum
um datur jam ad actionem, quæ ob hoc delictum datur, & quæ i-
actio: Ci- psam insequitur poenâ. Agi vero potest ob adulterium
vilis & cri- tam civiliter, quam criminaliter. Actio civilis tendit ad
iminalis. vinculi matrimonialis solutionem & dotis vel donatio-
Civilis a- nis nuptialis lucrum. l. 38. l. 47. solut. matrim. l. 8. §. 4. &
ctio ad s. de repud. & permittitur quoque parti innocenti ut
quid ten- transeat ad secunda vota. l. 9. §. 5. C. de repud. quod ap-
dat. probat etiam B. Luther. tom. 7. en. germ. de caus. matrim. pag. 255. ita tamen ut prius tentetur reconciliatio & si ea
 iniri nequeat innocens de intermittendis, vivente adul-
 terante, secundis nuptiis & vitæ abstinentiâ admonea-
 tur, quam si præstare nequit, tunc demùm facultas de-
 tur transeundi ad secunda vota. Petr. Theod. colleg. crim.
 disp. 6. Beat. Gerard. de conjug. cap. 11. th. 622. pag. 1048.
 Nocenti autem regulariter quidem interdicitur conju-
 gium, aliquando tamen, cū ex ratione justâ & sufficiente

mor-

mortis supplicium nocenti remittitur, & poena adulterii mitigatur, novum quoque nocenti conjugium non denegandum esse, monet *B. Lutherus in lib. de vit. conjug. tom. 2. Jenens. german. fol. 166.* Et hæc ita in consistoriis statuum Imperii confessioni Augustanæ additorum observari, testatur *Dn. Carpzov. part. 2. q. 63. n. 23. & lib. 2. Jurispr. consistor. def. c. 91. n. 11.*

XIIX.

Hæc de actione civili. Criminalis accusatio ad poenam & adultero & adulteræ infligendam tendit. Est vero secundum sanctionem *Constantini in l. 9. & l. 30. C. h. t. & §. 4. 7. de publ. judic.* constituta poena capitis, quam postea Justinianus à parte uxoris mitigavit & adulteræ poenam remisit. *Nov. 134. c. 10. & Auth. sed hodie C. h. t. ad quod etiam Jus Justinianicum respicit constitutio Carolina art. 120.* Plurimis tamen in locis in puniendis adulteriis mas & foemina æquali afficiuntur poenâ. *Beust. de connub. 2. e. 18. Nobiliss. Dn. Præs. Exerc. ad ff. 40. th. 14. edit. prior.* sicuti etiam indifferenter in adulteriis in ditio- nibus Saxoniae poena gladii constituta est teste *Dn. Carpzov. part. 2. q. 54. n. 19.*

Criminalis
actione
quid petatur?

XIX.

Sciendum verò hic est, quod potestas experiundi De jure ei civili & criminali actione tantum competat marito *l. 30. vili Mari- C. h. 1.* Uxori vero tantum civiliter agere permittitur, *per l. 1. C. eod. l. 8. C. de repud.* Per jam dictam verò Constitu- tionem Carolinam hæc differentia est sublata *art. 120.* Præterea aliis quoque, non tamen omnibus indistinctè, sed proximis, necessariisq; personis, vid. Patri, fratri, patruo & avunculo delationem hujus criminis jus nostrum concedit. *l. 30. C. h. 1.*

per
tus agere
potest cri-
minaliter
f. civiliter.
Uxor tan-
tum civi-
liter.

B 2

XX. Et

*An pater
mæchum
filie inter-
ficere pos-
sit?*

Et ita quidem si ob hoc delictum coram iudice or-
nario modo agatur, procedendum. Quod si vero quis
adulterum in actu ipso deprehendat, quæritur, an pro-
priam vindictam exercere, eumque interficere possit? quod
de Patre, si adulterantem cum filia mæchum invenerit,
affirmamus. Id enim efficiunt verba L. Juliae: *Pater qui
in potestate habet, si in filiâ adulterum deprehenderit domi
suae, generive sui, jus occidendi habet, dum in continenti fi-
liam occidat l. 20. l. 21. l. 22. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. Vid.
Barnab. Briffon. ad L. Jul. de adulter.* Ex quibus verbis e-
licitur, quod non omnino libera Patri filiam occidendi
sit concessa potestas, sed ita restricta, ut tum demum cõ-
petat, si ἐν ἐργῶ, in ipsâ turpitudine seu in ipsis rebus vene-
reis adulterum cum filiâ, quam sub potestate habet l. 23.
ff. ad L. Jul. de adult. deprehendat, & quidem tan-
tùm domi suæ generive sui. Necessè vero est, ut uno
quasi ictu & fervore utrumque occidat l. 23. ff. h. t. add.
cap. 3. de sentent. Excommun. P. H. D. art. 142. Nam
si alteri parcat, L. Cornelia tenetur, quia lex parem in
eos, qui deprehensi sunt, indignationem exigit & seve-
ritatem. Et in hoc iure necandi adulteram filiam, reli-
quias veteris juris, quod patri in liberos competebat, re-
mansisse patet. Vid. Nobiliss. Dn. Praef. Exercit. de vin-
dict. priv. th. 4. Exeges.

XXI.

*An idem
possit ma-
ritus?*

Sed num idem dicendum de marito, quòd nimi-
rum eandem habeat potestatem, controversum est. Jus
vetus quod attinet, lex XII. tabb. ita cavet: *Mæchum in
adulterio deprehensum necato.* adde Gell. lib. 10. noct. att. c.
23. Verùm hæc libera occidendi facultas marito est
adem.

adempta per sæpius dictam L. Juliam, eique tantum
 permiffum, ut vilis aut infamis conditionis hominē, de-
 prehensum domi suæ, interficere posset *l. 24. p. ff. h. t.*
ll. 4. C. eod. Excipitur in *l. 38. §. 9. h. t.* patronus, qui à li-
 berto in adulterio uxoris deprehenso, etiam si vilis aut
 infamis conditionis sit, occidi non debet. Rationem
 verò, quod non æquè maritò, quàm parenti adulterum
 interficiendi concedatur potestas, suppeditat *l. 22. §. 4. ff.*
h. t. quia plerumque pietas paterni nominis consilium
 pro liberis capit (h. e. sicut id ipsum *cum Molinâ Nobiliss.*
Dn. Præses disp. de vindict. pr. th. 42. explicat, pietas af-
 fectusve patris in filiam continere eum potuit, ut neu-
 trum interficeret;) mariti vero calor & impetus facile
 decernentis & sævientis fuit refrœnandus *l. 22. §. ult. ff.*
h. t. Potest tamen maritus adulterum deprehensum in
 adulterio, testandæ ejus rei causâ, horas viginti continu-
 as retinere *l. 25. pr. h. t.* Præterea etiam jure novissimo
 marito conceditur, ut, si post ternam denunciationem,
 & in scriptis sub præsentia trium testium fide dignorum
 admonitionem, quendam convenientem uxori suæ in
 loco suspecto, propriis manibus possit impunè interfi-
 cere: *nov. 117. c. 15.* ex qua petita *Auth. si quis. C. h. t. Mast.*
d. justit. ll. Roman. lib. 2. dub. 13. 13.

XXII.

Sin autem maritus sit patiens & jure suo, quod ipsi cõ-
 petit, uti nolit, sed uxorē adulterii ream incusare negli-
 gat, lenocinii crimen incurrit, quum lex expressè velit,
 ut maritus accuset: tunc autem est puniendus, (cum vid.
 id non facit) ejusmodi patientissimus maritus, si igno-
 rantiam suam excusare non potest, vel adumbrare pati-
 entiam prætextu incredibilitatis *l. 29. h. t.*

*An mari-
 tus tenea-
 tur accu-
 sare uxo-
 rem?*

XXIII.

*Quid ob-
tineat si
maritus
adulterū
interfeca-
rit.*

Ex dictis apparet, quod regulariter marito adulterum uxoris suæ interficere non liceat. Quod verò dicendum, si justo fervore doloris adulterum vel uxorem interfecerit, an poenâ ordinariâ L. Corneliæ sit plectendus? quod negamus, suffulti expressâ *l. 38. §. 8. ff. h. t.* quæ rationem hujus addit, quod nimirum difficillimum sit justum dolorem temperare *l. 4. C. eod.* Ob parem rationem jure Canonum à sententia excommunicationis est immunis, qui in clericū cum uxore, matre, sorore vel filiâ propriâ turpiter inventum, manus injecerit violentas. *cap. 3. extr. de sentent. excommunicat.*

XXIV.

*Mitigatio
pœne ad-
ulterii.*

Quod vero de poenis adulterii dictum, id communiter obtinet, nullis inspectis circumstantiis. Has enim si considerare velimus, nullum existit planè dubium, quin Judex quandoque pro rerum qualitate à Juris rigore recedere & in mitiorem partem deflectere possit.

XXV.

*Ob inter-
cessionem
conjugis.*

Quod si enim transactio super crimine adulterii fuerit facta ita, ut maritus pro uxore intercedat, & se illi cohabitaturum promittat, hæc transactio contra regulam communem *l. 18. C. de transact.* admittitur & in honorem matrimonii poena ordinaria mitigatur, quia ab humanitate & pietate alienum putatur adulteræ resipiscenti, fores mariti, eam recipere volenti, occludere, ut sentit Hieronymus. *in cap. 9. Matth.* Non enim erit turpis neque difficilis etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ut loquitur Augustinus. *in c. 8. c. 32. q. 1. & in c. 7. c. 32. q. 1.* Id quod etiam

iam

iam quandoque obrinet in adulterio duplicato. Licet enim regulariter ad intercessionem conjugis in eo pœna non remittatur, attamen magistratus in favorem partis innocentis, ejusque liberorum, aut propter alias prægnantes rationes & circumstantias rigorem juris mitigare potest *Dn. Carpzov. p. 2. q. 61. n. 65.*

XXVI.

Cessat quoque pœna ordinaria in uxore, quæ ob conjugis impotentiam, siue ea sit naturalis, siue accidentalis, siue magica, si uxor videl. propter eam cum alienâ personâ sese commisceat & ita adulterium committat, quia tum conjux non temerè & malitiosè delinquit, cum debito & ope conjugali destituatur, & ita perpetuis ustionibus & has insequentibus scortationibus subjiçiat, quod etiam ampliatur in tantum, ut si vir quidem possit, non verò velit præstare debitum conjugale, uxor ordinariâ pœnâ non teneatur propter *C. si tu abstines 24. 27. q. 2.* ubi ait Chrysostomus: *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentia,* *Dn. Carpzov. part. 2. q. 61. n. 16. & seqq.* Excusat quoque à pœnâ ordinariâ, si alter conjugum furore aliove morbo contagioso laboret. Non obft. *l. si cum dotem §. 7. ff. de ut. matrim. & l. 8. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt. & l. consensu C. de remed.* Nam neq; hoc casu malitiosè peccatur sed tantum ex incōtinentia. Et ita quoque in foro observatur, ut pœna solum hoc casu extraordinaria locum habeat, sicuti præjudiciis hoc confirmat *Dn. Carpz. p. 2. q. 61. n. 40.* Non etiam infligitur pœna ordinaria, si forte maritus ad mortem sit condemnatus & uxor cum alio adul-

Ob impotentiam.

adulterium committat. *Nobiliss. Dn. Pras. disp. 40. th. 16. edit. pr.*

XXVI-

*Ob mal-
tiosam de-
sertionem.*

Desertio quoque ordinariam poenam non parum imminuit, si tamen ista fuerit temeraria, voluntaria & malitiosa, sicuti benè monet *B. Gerard. tr. de cōjug. c. 6. th. 628. p. 1055.* ut si quis discedit à conjuge & diutius abest, nulla honestâ causâ coactus, sed vel levitate, vel aliis non necessariis causis impulsus, vagatur. Quo casu, si, postquam per sententiam Judicis Ecclesiastici matrimonium est solutum, deserta ad secundam vota transire potest, *arg. 1. Corinth. 7. vers. 15.* dubium non est, quin etiam, si ante divortiū ritè factum conjux cum alio coeat, poena sit mitiganda, quia matrimoniū jam tum per desertionem aliquā ex parte est solutum, & fides conjugalis fracta, licet sententia judicis nondum fuerit insecta. *Dn. Carpzov. p. 2. q. 58. num. 15. & seqq.* Idem quoque obtinet si antè ab altero conjuge foedus conjugale fuerit violatum. Necessè tamen est, ut de adulterio perpetrato ex confessione conjugis constet: quo casu sanè mitior infligenda poena: cum jam altera pars fidem conjugalem fregerit, indeque causa, ob quam matrimonium dissolvi potuisset, extiterit. *Dn. Carpzov. part. 2. quest. 61. num. 74. & seqq. Nobiliss. Dn. Pras. Exerc. 40. th. 17. edit. prior.*



